



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 41. S. Meinvercus Paderbornensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. A.C. 1014. *publicæ salutem conserves.* Obediit piissimus Princeps, licet animus repugnaret, nec Imperii clavum dimisit. Sed exinde sæpius ad Richardum Abbatem divertit, ejusque consilio in gravissimis Reipublicæ negotiis usus est.

§. XLI.

S. Meinvercus Paderbornensis.

vit. c. 1. n. 4. Sanctus Meinvercus Paderbornensis ex Clericis Halberstadiensibus ad Regiam Ottonis tertii, cui affinitatis vinculo jungebatur, ad obeundum Capellani munus evocatus fuerat. Episcopo deinde Paderbornensi, anno millesimo nono, defuncto, Henricus Rex accersito ad se Meinverco subridens & chirothecam ei tradens, *accipe*, ait. Et Meinverco respondente, *quid accipiam?* Reposuit Rex: *Episcopatum Paderbornensem.* Rursus Capellanus: *Cur de isto Episcopatu viverem? satis opum mihi est, unde Ecclesiam hac pinguiorem instituam. Ex mea mente loqueris*, inquit Rex, *cupioque, ut tuis opibus bujus Ecclesiæ paupertatem subleves.* Ille hilariter: *Accipio & Episcopatum & conditionem.* Moxque a Willegiso Archiepiscopo Moguntino, Metropoli suo, Episcopis, qui tunc forte in Regia versabantur, assistentibus, consecratur. Episcopali Ordine insignitus Meinvercus nihil antiquius habuit, quam

quam Ecclesiam suam Cathedralē, a ^{Sæculum XI.} Barbaris vastatam, e ruinis eductam magnifice reparare. Ut autem suæ Diœcesis in futurum consuleret, ab Henrico Rege nunc fundos, nunc bona mobilia obtinuit. Effecit etiam singulari industria, ^{c. 6. 7. 8.} ut tum complures proceres, tum viri Ecclesiastici, atque etiam privati plurima fane latifundia suæ Ecclesiæ conferrent, unde hinc populi Religio eximia, inde maximum Episcopi in locupletanda Ecclesia sua studium perspicitur. Non minor fuit de rebus conservandis, quam ^{c. 10.} acquirendis cura. Solicite providebat, ^{n. 72. &c.} ne servis, quibus hos agros excolere incumbebat, necessaria deessent, segnes castigabat, fideles & sedulos donis excitabat. Diœcesim suam affectu pastorali visitabat, solus non nunquam per vicos sub mercatorum peregrinorum habitu latens commeabat, ut nihil eorum, quæ ad regimen populi pertinerent, ipsum fugeret. Nihil omisit, quod ad literas colendas, & erudiendam juventutem facere posset. Unde sub Imado Meinverci nepote & Successore Schola Paderbornensis eximie floruit. In ea Studiosi septem liberalibus artibus, Lectioni Poetarum & Historiæ Scriptorum, arti eleganter formandi literas, atque Pictoriæ operam dabant. Namque ex hac schola postmodum Anno Archiepiscopus Coloniensis, Fridericus Mogun-

n. 78.

Sæculum XI. Moguntinus, Altmannus Passaviensis & A.C. 1016. complures alii prodierunt. S. Meinver-
cus vero postquam Ecclesiam Paderbor-
nensem annis viginti septem rexisset,
Sabbato Pentecostes anno millesimo tri-
gesimo sexto die quinta Junii ad Superos
translatus est.

§. XLII.

Papa Saracenos depellit.

Ditm. lib. 7. p. 96. Anno 1016. Saraceni Italiæ litora inva-
dentes Lunam civitatem in Thuscia
capiunt, Episcopum fugant, atque illa
regione potiuntur. Quod cum publica
fama ad Benedictum Papam detulisset,
missis ad Episcopos & Ecclesiarum De-
fensores mandatis omnes cum armatis ad
se venire præcipit, sperans, adjuvante
Deo, Mahometanos non vinci modo, sed
etiam deleri posse. Simul maximam
quam poterat lemborum multitudinem
arcano consilio præmittit, quo fugienti-
bus via maritima occluderetur. Cum
nihilominus Rex Saracenorum cognovisset,
se in periculo versari, ne libertas fu-
giendi sibi præriperetur, paucis comi-
tantibus evasit. Ipsi vero milites in
unum agmen collecti in Christianos ir-
ruunt, & per triduum eos proeliis ster-
nunt. Sed tandem variante fortuna in
fugam acti Infideles instantibus Roma-
nis ad unum omnes cæduntur. Nemo
inter-